



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant

Segneri, Paolo

Dilingæ, 1699

XXI. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam. Job.
24. 23.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

quamdiu vivis super terram; quoniam ista non est tua Civitas: *Non habemus hic manentem civitatem.* Advena es. Et tu tamen queris esse domesticus?

3. Considera, non solum te esse advenam super terram, sed etiam peregrinum, ut ideo sequatur: *sed fururam inquirimus.* Quid facis, dum varia loca peregrinando perambulas? Non laetius prandere curas, quam sustentationi tuae sit necessarium, vadis expeditus, & liber à sarcinis, temporeque vi-

am queris, quae rectè ducat ad patriam. Sic omnino in proposito nostro faciendum tibi est. Hic corpore, ibi animo commorandum est, ad modum peregrini, qui corpore in illà civitate versatur, per quam transit, mente verbò in illà, ad quam anhelat. Sed heu! quam tu diverso modo procedis. Vix unquam caelum cogitas. Malum signum, nempe hanc non fore patriam tuam.

XXI.

Dedit ei DEUS locum poenitentiae, & ille abusus eo in superbiam.
Job. 24. 23.

1. **M**ira considera. DEUS, tantae Dominus Majestatis, injurià affectus, à quo? ab homine, id est, à vermiculo terrae vilissimo, à subdito, à mancipio, ipsi dat. *Dedit ei*, nullo suo debito, sed merà benignitate, mero amore, dat, inquam, dono prorsus gratuito, *Locum poenitentiae*, dat ipsi occasionem, dat tempus, stimulos, auxilia poenitendi. Et homo quid facit? *& abusus eo in superbiam.* O rem miram, ô stupendam! quis crederet, nisi quotidie videret? Admirare magnam Domini bonitatem, & deplorare brutum agendi modum, quo illi homines respondent.

2. Considera primam causam, ob quam dicitur peccator tempore Divinitus concessio *abusus in superbiam*, quia scilicet, dum videt hoc ipsum tempus sibi dari, sumit audaciam. Si Do-

minus statim plecteret, ô quam modeste se gereret! quia praeservat, quia dies prosperos tribuit, quia flore aetatis frui concedit, hinc ipse amplius infolenscit. O superbiam, abuti patientià tam longanimi! *Quia non profertur eiò contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* Eccl. 8.

3. Considera alteram causam, propter quam dicitur peccator *abusus in superbiam*, quia scilicet, postquam tam foedum usurpavit agendi modum, quem diximus, praesumit nihilominus consequi salutem. Pratendit sub vitæ exitum res suas summâ facilitate componere, anà pectoris tumescione, uno singulto, vel suspirio. Et levissimo labore pollicetur sibi Paradisum, ab aliis tanto impendio acquisitum. O arrogantiàm, ô vanam persuasione, tam

tam fortunatum se credere, ut, dum centena millia peccatorum ipsi similiū moriuntur malè, unus fortè est, qui moriatur bene, speret se fore hunc unum, qui instar portenti digito monstratur, sicut qui in magnâ clade exercitus evasit incolomis: *Tanquam qui evaserit in die belli.* Eccl. 40. 7.

4. Considera, numquid tu fortè sis peccator ille superbus, de quo loquimur. Certè verissimum est, te quo-

que sæpius ingrâtè abusum misericordiâ Divinâ. Cogita paucillum: Utere nunc vitâ ad eum omnino finem, ad quem DEUS illam indulsit. Scis eam non esse aliud nisi *Locum pœnitentiæ.* An pro tali tu reputas? Compungere, erubescere, humiliare, & cave diligenter, hæc enim summa erit injuria, quam facis DEO, si abuteris in *superbiam.*

XXII.

Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Il. 3. 12.

1. Considera, quò demum reducatur omne illud bonum, quod tibi provenire potest à laude hominum. Possunt te dicere beatum, sed non facere. *Beatum dicunt.* Revera talis es, qualis agnosceris in conspectu Dei. Et si coram isto sis miser, & miserabilis, & pauper, quid proderit, si universus mundus te æstimet adeò diversum? O quæ tua stultitia est, dum ita deperis laudem, hoc est, vanitatem! Laudet te quisque quantum vult: *Non potest adicere ad statum tuam, non inquam cubitum, sed nec digitum unum.*

2. Considera eos, qui te laudant, non modò nihil asserre boni, sed mali plurimum inferre. Nam imprimis tollunt tibi veram cognitionem tui ipsius: *Te decipiunt.* Faciunt, ut credas te esse, quod non es. An nescis nihil esse ab omni parte beatum? & tamen isti talem te esse mentuntur: *Be-*

atum dicunt. Hoc est, defectus tuos tegunt, eos excusant, sustinent, & eò interdum progrediuntur, ut pro virtute laudent, quod ut vitium esset reprehendendum. Et nihilominus tantopere amas impostorem?

3. Considera, ubi cognitionem tui ipsius, quæ adeò omnibus necessaria est, tibi sustulerint, eos consequenter aliud inferre grave malum, quia viam illam dissipant, extra quam nec passum facere oportebat: *Viam gressuum tuorum dissipant.* Et quæ hæc via tam pretiosa? Humilitas. Hæc est via, quam Christus de cælo in terram descendens instar gigantis tam generosè calcavit. Hanc ambulârunt tot sancti & sanctæ, tot animæ DEO magis dilectæ. Et eam te quoque ambulare decet, si eò cupis pervenire, quò isti pervenerunt. Erramen, ecce quid tibi faciant laudatores tui.

Non